

QUAEDAM  
DE  
**ANEURYSMATE**  
**ANASTOMOTICO,**  
ADDITA  
**HISTORIA MORBI.**

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS ANATOMICO - CHIRURGICA**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI  
**MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
**UNIVERSITATE LITERARIA**  
**GRYPHICA**  
PRO SUMMIS  
**IN MEDICINA, CHIRURGIA, ET**  
**ARTE OBSTETRICIA**  
HONORIBUS  
RITE CAPESSENDIS  
DIE XIII. MENS. DECEMBRIS, ANNI MDCCXLV  
PUBLICE DEFENDET  
AUCTOR  
**EDUARDUS EISERMANN**  
THURINGUS.


OPPONENTIBUS:

G. STUBENRAUCH, MED. ET CHIR. DR.  
W. WIENAND, MED. ET CHIR. DR.  
O. HANDEMANN, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE  
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

1845

611451



N. 34/88

**AVUNCULO**

**OPTIMO HONORATISSIMO**

**F. ENGELING,**

**A CONSIL. CONSISTORIAL. PASTORI DIOECESEOS KIRCH-  
HEILINGENSIS PRIMARIO, SCHOLARUM INSPECTORI.**

**NEC NON**

**COGNATO**

**DILECTISSIMO, AESTUMATISSIMO**

**C. NOTTROTT,**

**VERBI DIVINI MINISTRO GANGLOFFSOEMMERDAE.**

H A S C E  
A N D R E A S  
OPTIMO MONASTERIO  
**STUDIORUM PRIMITIAS**  
SACRAS ESSE VULT

A U C T O R.

obstantio iher. dico coris aëriam noscimus in  
multis operibus hyscistis punctione penum-  
brae tenuissime tenuiter distingui posse.

### **Prooemium.**

Satis scio, omni medicinae tironi dissertationem conscribenti multas sese offerre difficultates, easque magis intelligo atque vereor, ne a multis consilium meum vituperetur, quod materiam mihi elegi, cui jam viri doctissimi et artis chirurgicae experientissimi operam dede-  
runt. Occasione vero prospera mihi oblata ob  
benevolentiam Ill. Baum, praceptoris honora-  
tissimi, operationem aneurysmatis anastomotici  
videndi, quae privatim ab illo ante aliquot men-  
ses suscepta est, non dubitavi, de themate isto  
scribere et hunc morbi casum in dissertatione  
mea in lucem proferre; idque eo magis operaे  
preium esse censeo, quod et morbus ille peri-  
culosus in his locis rarissime nobis obvenit et

operatio ipsa, quae certe animum nostrum maxime advertit atque delectat, hucusque bonum ac faustum habuit successum.

Ne autem speres, L. B., fore, ut tibi nova offeram, quia, quidquid de hac re dicere valeo, ex aliorum scriptis hausi ideoque res tibi omnino notas tantummodo reddere possum. Velim accipias benigne ac indulgenter hocce opusculum ob virium mearum imbecillitatem omnibus numeris nequaquam absolutum, et ubi magis accuratam rerum cognitionem et peritiam majusque in ratiocinando acumen desideraveris, de his ingenii ac experientiae meae primitiis ne nimis severum feras judicium humanissime te oro atque rogo.

## I n t r o d u c t i o .

**Q**uemadmodum opiniones scriptorum inde a priori tempore jam de natura ac indole morborum, quibus vasa corporis humani varia afficiuntur, inter se discreparunt et fons hujus rei hucusque non est exhaustus, sic etiam de morbo nostro, quem describere nobis proposuimus, multa adhuc incerta sunt.

Jam e variis nominibus, quibus morbus hicce significatur (exstant enim nomina: aneurysmatis per anastomosin, aneur. anastomotici s. anastomosium, aneur. cirsoidei, spongiosi, racemosi, varicis arterialis, tumoris sanguinei arterialis e. a.) patet, non satis constitutum esse, cui morborum speciei noster sit adnumerandus. Unde etiam inveniuntur variae confusiones. Sub his nominibus multi omnes morbos complectebantur, qui in systemate vasorum sedem obtinent. Sic Maunoir<sup>1)</sup> affirmat, omnes hos tumores, naevos maternos, tumores sanguineos, aneurysmata per anastomosin et spongiosa eandem praebere speciem, structuram, decursum, eandemque postulare curationem.

<sup>1)</sup> cf. de Graefe et de Walther, Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. B. V, p. 189.

Ante finem saeculi praeteriti certiora et accuratiora haud reperimus de morbo nostro. Descriptio quidem exstat, quae ad nostram rem respicit, Vidi Vidii <sup>2)</sup>, sic tamen, ut de causa ac cura nihil adsit. Affert enim exemplum distensionis arteriarum capitis, instar varicium, simulque addit, Fallopium, qui suscepit, tumorem dissecare, perterritum ejus magnitudine aegrotum dimisisse. A Vido Vidio nomen propositum est varicis arterialis, quo Dupuytren quoque utitur.

J. Bell <sup>3)</sup> primus hunc morbum sub nomine aneurysmatis per anastomosin fusius et accuratius descripsit atque clarius distinxit.

Richerand <sup>4)</sup> affirmat, se jam ante Bell aneurysma per anastomosin titulo aneurysmatis fungosi decripsisse.

Non multo post Dupuytren <sup>5)</sup> eundem morbum, quem Bell descripsit, sub nomine tumoris erectilis in lucem protulit. Nec minus a Scarpa <sup>6)</sup> descriptio hujus morbi exstat.

E descriptionibus autem fere omnium satis elucet, eos in malum significasse, quod nostro tempore teleangiectasis vocatur, quum legamus, non modi fines arteriarum, sed etiam venarum et vasa capili-

2) cf. Breschet, mémoires de l'académie royale de médecine, t. III, p. 104.

3) cf. Principles of surgery, vol. II, p. 496. Edinb. 1801.

4) cf. Histoire de progrès récents de la chir. Paris 1828.

5) cf. Archives générales de médec. Ser. II, t. VI. 1834.

6) cf. Annali universali di medicina. Jun. 1830.

laria affici. Sic Breschet <sup>7)</sup> , qui quatuor species aneurysmatis veri distinxit, speciem tertiam, aneur. cylindroideum, subdividit in an. cylind. arteriarum minorum et venarum, quo pertinere contendit aneur. per anastomosin (Bell) seu tumores erectiles (Dupuytren). Quartam speciem constituit aneur. verum cirsoideum, (a *κιρσός*, varix, et *εἶδος*, forma) vel varicem arteriale (Vidus Vidius — Dupuytren), quod magis hoc pertinet.

Malum nostrum ex arteriis tantummodo originem ducere et sedem obtinere in ramis vel anastomosibus arteriarum, quae maxime dilatatae et conglobatae tumores constituant pulsantes, jam Bell docuit et nunc inter omnes constat. A plurimis ergo aneurysmatibus veris spontaneis adnumeratur. Jam quum arteriarum rami lumen habeant varium, quaerendum est, quae arteriae afficiantur? Secundum Bell minimae tantum arteriae laborant, secundum aliorum exempla statim ab initio arteriae majoris luminis affectae sunt, quae affectio deinde in parvas, saepeque in truncum arteriosum transit. Quare freti his exemplis plurimi auctores nostri temporis censem, malum nostrum hue tantum pertinere et malum, quod Bell descripscerit, teleangiectasi esse adnumerandum. Unde etiam de Walther <sup>8)</sup> , ne confusio fiat, nomen aneurysmatis anastomosium seu anastomotici in scriptis suis usurpans, ea de causa praferendum

7) I. c. p. 127.

8) cf. Journal etc. I. c.

esse putat, quod jam e nomine, aneurysma anastomoses arteriarum invasisse, concludere liceat; et ipse, nec minus Hunter <sup>9)</sup> et Richerand nomine aneurysmatis per anastomosin aneur. varicosum significant. Sed quum Bell dicat, tumores saepissime e teleangiectasi exortos pulsasse, certe concludendum est, arterias majoris luminis fuisse affectas. Nam secundum Jaeger <sup>10)</sup> teleangiectases expansiones tantum et collapsus, non pulsationes edunt; quamquam Chelius <sup>11)</sup> rem contrariam defendit. Quocirea tumores a Bell descripti hic nihilominus locum obtinent.

Unde patet, ad rem nostram pertinere varios gradus dilatationis arteriarum, qui tamen tam arcte inter se cohaerent, ut vel unus semper ex altero prodeat, vel in alterum transeat et vix distingui possint. Quapropter varia nomina, etsi copia quidem terret, tamen statuenda et enucleanda sunt. Simulac enim minimi arteriarum fines et vasa capillaria afficiuntur, neque pulsatio adest, tum malum recte vocatur teleangiectasis arteriosa. Sin vero majoris luminis arteriae tertii vel quarti ordinis laborant dilatatione, tum nobis obvenit aneurysma anastomoticum. Nomen aneurysmatis cirsoidei, racemosi, varicis arterialis tum rei convenit, si truncus arteriosus simul cum ramis malo corripitur.

9) cf. medicin. chirurg. Beob. u. s. w. A. d. Engl. v. Kühn, pag. 784.

10) cf. Handwörterb. der ges. Chir. u. Augenh. B. I, p. 492.

11) cf. Handbuch der Chir. I, 2, p. 982, 1844.

### D e f i n i t i o .

Aneurysma anastomoticum s. per anastomosis est illa arteriectasis, vel illa veri aneurysmatis forma, quae aut spontaneo modo, aut e teleangiectasia congenita originem ducens, plures simul arterias diversi luminis, vel ex uno vel e variis ramis exeentes, invadit earumque tunicas omnes supra normam ita dilatata, ut praeter communem arteriarum dilatationem inaequali unius lateris extensione etiam parvi tumores sacciformes intercurrere soleant. Arteriae dilatatae, extenuatae, nec minus tortuosa et flexuosa currentes sensim crescendo deinde in unum confluunt et intumescentiam inaequalem et vehementer pulsantem vario extensionis gradu constituunt.

### Divisio et Descriptio.

Ex definitione modo a nobis constituta et secundum exempla, quae a compluribus observata et descripta sunt auctoribus, hancce igitur divisionem aneurysmatis anastomotici proponere liceat:

I. Quoad originem et signa, quibuscum obvenit, distinguimus:

- a) Aneurysma anastomoticum primarium, simplex, idiopathicum, ubi statim ab initio arteriae tertii seu quarti ordinis affectae sunt; quod vitium saepissime sua sponte et e diathesi universali originem dicit.

b) Aneurysma anastomoticum secundarium, compositum, deuteropathicum, sive aneurysma per anastomosin sensu strictiori; quod originem dicit e teleangiectasia congenita.

## II. Quoad sedem.

Quamquam hic morbus in omnibus corporis partibus et externis et internis, veluti in arteriis intestinalium, cerebri etc. sedem obtinere potest <sup>12)</sup>, tamen exempla ejusmodi tantum accuratius descripta nobis obveniunt, ubi vitium partes externas comprehendit; quae collecta breviter nobis afferre liceat.

Morbus observatus est:

1. in partibus mollibus, ubi afficit
  - a) in capite ramos et anastomoses arteriarum temporalis, frontalis, auricularis, occipitalis, labialis, ophthalmicae;
  - b) in collo arterias thyreoideas (Struma aneurysmatica seu vasculosa);
  - c) in extremitatibus arcus volares, plantares et malleolares;
2. in ossibus, ubi in primis sedem habet in articulationum vicinia, ut in parte superiori tibiae.

Symptomata et decursus hujus morbi modificantur pro varia origine ac sede. Decursus omnino modo rapidus, modo est latus.

### A. Descriptio aneurysmatis anastomotici partium mollium.

12) Conf. Meckels Anatom. Bd. II, Abth. 1, S. 244 ff. und Breschet l. c. S. 126.

Aneurysma anastomoticum simplex, quod observatum est a Scilbach<sup>13)</sup>, Wardrop<sup>14)</sup>, de Walther<sup>15)</sup>, Breschet<sup>16)</sup>, de Siebold<sup>17)</sup>, Boyer et Rickerand<sup>18)</sup> signa ab initio paullo obscuriora praesert, cum plerumque lente exoriatur et affecti bona valetudine frui videantur. Functiones partis affectae non valde laborant, color ejus normalis est, et praeter incertum, inaequalem et periodicum tremorem secundum arteriarum decursum digitis aliquid a norma recedens minime cognoscitur. In hoc gradu malum per longum temporis spatium perseverare potest. Veruntamen si crescere sensim morbus coepit, omnia adhuc incerta symptomata ad lucem proferuntur. Arteriae ante inaequali modo trementes aperte pulsant, tumoresque efficiunt nodosos, molles, fluctuantes, elasticos, lividos, tactu non dolentes, qui in dies amplificati in unum tandem confluunt, et intumescentiam plures pollices longam, unum vel duos altam, superficie inaequali constituunt. Accidunt deinde dolores haud exigui, qui sicut pulsatio qualibet virium intentione omnibusque causis, quae sanguinis fluxum accelerant, adauerti inveniuntur, saepe autem compressione trunci ejus arteriae, quarum ramulos aneurysma invasit, imminuntur;

13) cf. Chirurg. Kupfertafeln, Taf. 144.

14) cf. Lond. Med. Gaz. I, S. 260.

15) cf. l. c. p. 246.

16) cf. Mém. de l'Acad. royale de méd. Tom. III, p. 138.

17) cf. Samml. selt. chirurg. Beobachtungen, Bd. II, p. 341, Tafel 3, Fig. 3.

18) Ibidem fig. 2.

unde quoque fit, ut intumescentia ipsa collabatur, compressione vero sublata subito iterum appareat. Praeter pulsationem in tumore auditur strepitus peculiaris (*bruissement*), qui aegrum maxime molestat; nec minus temperatura partis affectae valde adaueta est. In casu quodam, ubi rami arteriarum temporalis, frontalis, occipitalis laborabant, qui mihi ipsi obvenit Hala in clinico chirurgico celeberrimi Blasii, calor totius capitis tam magnus erat, ut manu jam appropinquanti satis animadverti poterat. E malo seu lentius seu celerius procedente saepissime denique angiectasia partis totius affectae exoritur. Si tumor ad sat magnum ambitum auctus est, cutis sensim tenuior, rubra, discolor fit, tubera atque sacci magis in conspectum veniunt; tandem integumenta in apice tumoris expansi colliquescunt, disruptur et sanguinis profluvium e tumore aperto effunditur. Quae haemorrhagiae etiam via externa admissa provocari possunt, et haud parvum vitae saepissime afférunt periculum.

Alia exempla adsunt, ubi morbus originem duxit in teleangiectasia. Casus ejusmodi descripserunt Pelletan<sup>19)</sup>, Dupuytren<sup>20)</sup>, quibus noster quoque adnumerandus est<sup>21)</sup>. Sedes teleangiectaseos in talibus locis, ubi multae inveniuntur anastomoses arteriarum, multum praecipue confert ad aneurysma

19) cf. Breschet I. c. p. 154 u. Chirurg. Kupfertaf. I. c.

20) cf. Klinische Vorträge, deutsch von E. Beck u. R. Leonhardi, Bd. 2, Abth. 2, p. 3.

21) cf. Historia morbi.

anastomoticum provocandum, ut e. g. sedes in auricula. Symptomata omnino eadem sunt, quae alterius generis. Teleangiectases, quae secundum de Walther <sup>22)</sup> semper congenitae, secundum Chelium <sup>26)</sup> et alios etiam acquisitae inveniuntur, et pro varia sede aut in cute, aut in tela subcutanea cellulosa, aut in tela mucosa, aut in systemate capillari arterioso, vel venoso diversam ostendunt formam <sup>24)</sup>, per multos annos saepe eaedem remanent nullamque prae se ferunt molestiam, nisi deformitatem quandam. Haud raro decremento spontaneo sanantur. Saepe autem magis crescunt, praecipue in pubertate, aut permagna virium intentione, ut e. g. inter dolores partus <sup>25)</sup>, aut aliis causis et, nisi tumorum formam jam possident, nunc induunt; constituunt tumores elasticos, non dolentes, molles, fluctuantes, circumscriptos. Tum aegrotus in iis tensionis, pruritus sensum saepe percipit. Omnes deinde effectus, sistema vasculosum irritantes circulationemque accelerantes, hic quoque effectum edunt, et post insulationem mechanicam, post vehementes corporis motus, aut animi affectiones, post coenam, spirituosis sumptis, clamoribus, coitu peracto, magno calore, in feminis introitu mensium tumor adaugetur, magis rubescit, prominere, turgere et sese erigere

22) cf. l. cit.

23) cf. l. c. p. 980.

24) cf. Jaeger l. c. p. 491.

25) cf. Historia morbi.

solet (unde nomen secundum Dupuytren exortum tumoris erectilis). Omnes, quae retardant, causae sanguinis affluxum ad tumorem, detractio sanguinis, anaemia etc., efficiunt, ut ille collabatur, nec non molestiae propulsentur. Tumores hi et imprimis teleangiectases venosae sanguinem quoque facile emittunt et quidem non solum noxiis externis admissis, sed etiam spontaneo modo; et sunt, qui viderunt sanguinis fluxum periodicum e superficie tumoris, qui per multos saepe annos supplebat secretionem uteri. Kreyssig<sup>26)</sup> exemplum ejusmodi afferit de femina annorum septuaginta duorum. Ill. Schultze, praceptor meus maxime venerandus, asservat caput feminae cuiusdam annorum quadraginta quinque, cuius latus totum sinistrum teleangiectasia venosa, plana, colore rubro, nodis hic illuc dense obiecta occupavit. Ex hac teleangiectasia menstruatio per longum tempus semper periodica fluxit. Mors secuta est, haemorrhagia illa subito oppressa.

Faventibus illis noxiis, sempiternis irritationibus, aut caussis saepe ignotis, dilatatio denique a parvulis arteriis procedit ad illas, quae sunt majoris luminis. Nunc malum rapidius crescit. Tumor latius extensus et elevatus, antea motus expansivos prodens, jam nunc tremulat, aut arteriarum pulsu, quae in basi et vicinia ejus dilatatae inveniuntur, rhythmice concutitur et ipse pulsat; quae pulsationes non modo

---

26) cf. Hogdson von den Krankheiten der Arterien und Venen, deutsch von Koberwein. S. 79.

digito apposito satis praecclare animadvertisuntur, sed etiam visu, et ipso ab aegroto sentiuntur. Strepitus auditur ille peculiaris, venae contiguae varicosae intumescunt, color fit magis fuscus, calor ardens, et omnia accedunt symptomata, quae antea commemorata aneurysma anastomoticum insignire solent.

Jam quum symptomata specialia differant pro partis affectae natura ac ratione, morbum pro varia sede breviter describere liceat.

### I. Aneurysma anastomoticum capitis.

Hancce partem saepissime a morbo nostro affici, e copia arteriarum inter se cohaerentium jam satis concludi possit. Multi igitur medici hoc aneurysma observarunt in ramis arteriae temporalis, frontalis, occipitalis et auricularis, ut Vidus Vidius<sup>27)</sup>, de Siebold, Schreger, Pelletan<sup>28)</sup>, Wardrop, J. Bell<sup>29)</sup>, de Walther<sup>30)</sup>, Syme, de Graefe, Scilbach<sup>31)</sup>, Dupuytren<sup>32)</sup>, Myssey<sup>33)</sup>, Tartra<sup>34)</sup>, Breschet<sup>35)</sup>. In his casibus malum aut spontaneo modo, aut ex telegeniectasia congenita exortum erat. Arteriae illae non modo firmiter et late pulsabant, sed etiam saepe tantopere dilatatae inveniebantur, ut lumen ad am-

27) cf. Breschet, I. c. p. 104.

28) cf. I. c.

29) cf. I. c.

30) cf. I. c.

31) cf. I. c.

32) cf. I. c.

33) cf. Lond. med. gaz. Tom. VI, p. 75.

34) cf. Meckels pathol. Anatomie. Bd. II, p. 250.

35) cf. Breschet I. c. p. 167, Taf. 6.

bitum quintuplicem adactum appareret; in regione frontali, temporali et occipitali quoad decursum tumores nodosos et multiformes, nunc lividos et molles, nunc pulchritudines et elasticos constituebant, qui magnitudine nucis avellanae ab initio sub levi tactu non dolebant, sed ita magnum et vehementem susurrum aegroto continuo excitabant, ut somnus et quies propulsarentur. Accedunt deinde sensus caloris omni cordis ictu adactus, dolores rapientes in decursu vasorum. Sensibilitas omnino aucta est; adest photophobia, sentitur levissima tempestatis permutatio. In aegrota Scilbachi pulsus retardatus, durus, irregularis erat, aecedebat palpitatio cordis, tremor artuum superiorum. Ab initio capitis aneurysma anastomoticum lente crescit; iteratae autem irritationes progressum ejus miro modo accelerant, ita ut post breve temporis spatium tumor late et alte extensus inveniatur. Haemorrhagiae deinde exoriuntur periculosissimae.

### **III. Aneurysma anastomoticum oculi.**

Sedes hujus mali est orbita, ubi ramos et anastomoses invadit arteriae ophthalmicae, quibus participant arteriae angularis, frontalis, facialis. Causa ejusmodi descripserunt Travers<sup>36</sup>), Dalrymple<sup>37</sup>), Wardrop<sup>38</sup>), Warren<sup>39</sup>). Incipit hoc loco aneury-

36) cf. Hodgson, Uebers. von Koberwein, p. 296.

37) cf. Med. chirurg. transactions. Vol. VI, p. 3.

38) cf. ibidem.

39) cf. Ueber Diagnose und Cur der Geschwülste, übersetzt von Bressler, p. 220.

sma cum doloribus in orbita prementibus, qui inde totum occupant caput et cum sensu adaueti caloris conjuncti sunt. Nunc levissimus jam oculi contactus susurrum excitat aegroto ingratum. Post longius vel brevius temporis spatium in margine orbitae inferiori prope canthum internum tumor appareat, magnitudine nucis avellanae, elasticus, cuius vehementer pulsationem compressione arteriae carotidis communis tantum tollere possumus, non autem arteriarum vicinarum. Huic accedit oedema palpebrarum, venae earum et faciei ceruleae et varicosae animadvertuntur; oculus ex orbita paullum egreditur. Cutis tumoris rubra fit, dito ei apposito percipitur strepitus, carotis ejusdem lateris satis aperte pulsat, aegrotus continuo cruciatur susurru in auribus et capite, oculus post quemque cordis pulsum umbra quasi obducitur. Malum absque artis ope propter dignitatem organi affecti ipsius et partium vicinarum, veluti cerebri, felicem non habiturum esse exitum, satis elucet. Praecipue timendum est, ne compressione nervi optici amaurosis exoriatur, quae haud raro relinquitur ratione curandi quadam jamjam adhibita<sup>40)</sup>.

### III. Struma aneurysmatica s. vasculosa.

Ne longus sim, naturam ac indolem hujus morbi de Walther<sup>41)</sup> optime perspexisse, sufficiat tantummodo commemorasse.

<sup>40)</sup> cf. Dalrymple l. c.

<sup>41)</sup> cf. Neue Heilart des Kropfes durch Ligatur, p. 20. 1817.

obni huc additumque nudio ni anterobrachio que cum  
**IV. Aneurysma anastomoticum extremitatum.**

In extremitatibus aneurysma anastomoticum rarissime tantum obvenire videtur. De Siebold<sup>42)</sup> hoc malum in pede, ubi arteriam malleolarem externam invaserat. Boyer et Richerand<sup>43)</sup> in antibrachio, ubi arteria radialis ramum volarem et dorsalem emitit, magnitudine pomi observarunt. Breschet<sup>44)</sup> casus duos ejusmodi narrat, ubi in cadavere palma manus ac pedis hoc malo erat affecta.

**B. Aneurysma anastomoticum ossium**

primus Pearson<sup>45)</sup> observavit et post illum Scarpa<sup>46)</sup> casum ejusmodi descripsit. Recentiori tempore plures secutae sunt observationes variorum scriptorum, ut e. g. Lallemand, quas Breschet<sup>47)</sup> collegit et accuratius tractavit. Etiam Dupuytren<sup>48)</sup> nonnulla assert exempla.

Quamquam omnia fere corporis ossa hoc aneurysmate affici possunt, tamen experientia docet, rarius id cranii ossibusque trunci accidisse videri<sup>49)</sup>,

42) cf. l. c. p. 341, Taf. 3, Fig. 3.

43) cf. ibidem.

44) cf. l. c. p. 138, Tab. I. Fig. 1 u. 2.

45) cf. Medical communications Vol. VII. Lond. 1790. p. 93.

46) cf. Ueber die Pulsadergeschwülste. Aus dem Ital. von Harless, p. 294.

47) cf. Observ. sur un timeur aneurysmale etc. Paris 1827.

48) cf. l. c. p. 23 sq.

49) cf. Scarpa annali universali di medicina. 1830.

quam extremitatibus prope articulationes, ubi saepissime in superiori cruris parte juxta condylos invenitur, ibique mox tibiam vel fibulam solam, mox utrumque os simil invadit. Dupuytren etiam observavit in ossibus metatarsi. In plurimis casibus noxia externa malum provocare videtur, veluti ictus, lapsus, vel intentio vehemens in tollendo onere etc. et temporis spatium permagnum saepissime praeterlabitur inter causam nocentem et morbum oriundum, per quod aeger saepe nullum omnino, saepe parvum tantummodo et praetereuntem sentit dolorem. Solent autem hujusmodi tumores originem ducere e causa interna universalis, quod vitium, quamvis membrum morbosum resectum sit, in aliis locis corporis iterum oxoritur<sup>50)</sup>). Quare Chelius contendit, hos tumores teleangiectasiae partium mollium non adnumerandos esse, ut Breschet et alii suaserunt, quum haecce semper sit morbus localis<sup>51)</sup>). Lallemand hoc malum post intumescentiam genu rheumatico-arthriticam evolvi vidit. Incipit autem morbus aut noxia quadam externa admissa, aut sine ulla causa occassionali subito saepe, seu brevius, seu diutius post violentiam immissam cum doloribus magis minusve gravibus in parte ossis affecta, qui quiete et situ horizontali evanescunt per tempus aliquod, mox tamen vehementius redeunt. Pars ossis affecta sensim intumescit, totius artus venae turgent,

50) cf. Scarpa, Pearson, Lallemand, Dupuytren, l. c.

51) cf. Chelius Handbuch, l. c. p. 975.

dolor propagatur per totum membrum, quod colorem rubro-caeruleum ostendit. Tumor ab initio durus mox mollior fit, et antea obscurum et inaequalem prae se ferens tremorem, nunc fluctuat et aperte ac distincte pulsat; quae pulsatio synchrona arteriarum pulsui sine strepitu cum extensione universalis tumoris coniuncta est. Arteria membra primaria si comprimitur inter cor et tumorem, pulsatio cessat et tumor saepe collabitur, compressione autem remota denuo redit. Saepe aegrotus doloribus continuis in parte morbosa vexatur, quae tumida et rubra, aut macra est et ejus motus aut plane, aut in articulatione impediti sunt, ubi tumor sedem habet. Digitis si tumor comprimitur, in nonnullis partibus sentitur et auditur crepitus, quasi membranam pergamenam comprimas, seu testam ovi frangas. Os si plane deletum est, pars ubivis moveri potest. Tumor si prope majoris luminis arteriam nascitur, saepe illam supra tumorem tactu persequi potes.

Chelius<sup>62)</sup> dicit, huic alteracioni morbosae ossium semper praecedere videri statum inflammatorium, quo nutritio ossium mutetur, unde relaxatio, emolliatio et absorptio substantiae ossium solidae, ubertas vasorum, effusio sanguinis, deletio ossis. Hasce alterationes morbosas ab interno ossis ad externum procedere, ab omnibus conceditur; quod etiam comprobatur observationibus, in quibus laminam externam ossis viderunt ac testam tenuem et fragilem.

---

62) cf. I. e. p. 978.

## E x i t u s .

Vix ullum reperire possis morbum, qui causis saepe ignotis provocatus ab initio levi sub specie tam insonti per incrementa clam incidentia furtim exitum tam periculosum habeat, quam, quem nunc nostrum est, ut describamus. Nam morbus certum extensionis gradum assecutus per se ipsum fere semper mortem adducit. Quod plerumque fit haemorrhagis aut subito exortis, aut saepe reiteratis, quibus anaemia, virium debilitatio et labefactatio efficiuntur. Quamquam interdum aperturae tumoris crustis clauduntur, ut videtur, firmis, tamen seu novis irritacionibus admissis, seu spontaneo modo haemorrhagiae repetuntur<sup>53)</sup>; et compressio et remedia styptica in plurimis casibus effectum tutum non praebent. Non nunquam tumor ulcerationem inire solet<sup>54)</sup>, ut Mussey observavit, et massae fungosae ex aperturis excrescent, quae luxuriant, levissimo tactu sanguinem emittunt, et cultro aut ligatura sublatae mox denuo exsurgunt<sup>55)</sup>. Hae fungositates secundum Chelium<sup>56)</sup> sanguine coagulato largiusque evoluto tumoris parenchymate conformantur; nunquam tumores in degenerationem specificam, in fungum medullarem transeunt, ut de Walther affirmat, nisi certa adest dyscrasia

53) cf. Dupuytren I. c. u. Pelletan I. c.

54) cf. Lond. medic. gaz. X, p. 76.

55) cf. Boyer maladies chir. Tom. II, p. 267.

56) cf. I. c. p. 981.

universalis. Hos tumores autem nihilominus naturam destructivam habere, Hasse<sup>57)</sup> et Breschet<sup>58)</sup> contendunt; quod saepissime in ossibus observatum est. Praeterea malum adhuc affert detrimenta loco, cui inhaeret, quae vitam vocare possunt in maximum periculum. Nam pressione organa vicina, veluti nervi et venae, offenduntur, unde exoriri possunt paralysis, tabes, oedema\*), nec minus os, cui malum impositum est, absorptione deletur, ita ut sulci et excavations in illo formentur<sup>59)</sup>.

### Disquisitio pathologico-anatomica.

Omnino et in aneurysmate anastomotico simplici invenimus arterias, quae ad componendum tumorem concurrunt, valde dilatatas, flexuosas, tortuosas et inter se conglobatas. Injectio dissectioque nullum dubium relinquunt, quin illi sacci, qui inveniuntur, revera dilatationes ramorum sint et non nisi ex arteriarum parietibus componantur. Sic Scilbach<sup>60)</sup> arteriam occipitalem quasi calatum anserinum, Du-puytren<sup>61)</sup> arteriam temporalem nonnullis locis quasi digitum minimum dilatatam invenit. Parietes arteriarum non solum dilatati, sed etiam extenuati reperiuntur, itaque molles, ut membrana media quasi

57) cf. Spec. pathol. Anatomie. Bd. I, p. 130.

58) cf. l. c.

\*) cf. Scilbach l. c.

59) cf. ibidem u. Majo l. c.

60) cf. l. c.

61) cf. l. c.

deesse videatur<sup>62)</sup>). Quare dissecti collabuntur venarum instar, nec hiant, ut arteriae solent. In illis locis, ubi maximi inveniuntur tumores nodosi, aut omnes tunicae arteriarum sacciformes dilatatae sunt aut per tunicam mediam disruptam tunica interna simul cum tunica cellulosa prolapsa est. Arteriae sic dilatatae sanguinem tantummodo fluidum continent; coagula fibrosa in parietibus deposita nunquam observantur. Venae, quae per rete capillare sanum arteriarum ramis dilatatis et conglobatis disjunguntur, neque quoad lumen, neque quoad structuram mutatae inveniuntur<sup>64)</sup>. Os, cui tumor impositus est, absorptione aut tenuior invenitur, quod de Walther contigit, aut sulcos et excavationes ostendit, ut jam supra adnotatum est de casibus, quos Scilbach et Mago observarunt. Sed disquisitio pathologica alia est, si malum e teleangiectasia et e parvulis arteriis originem duxit, vel si ab arteriis majoris luminis, ut plerumque fit, ad parva vasa et sistema capillare serpsit. Tum observatur<sup>65)</sup>, tumores capsula cellulosa circumclusos non solum compositos esse e ramis arteriarum dilatatis, sinuatis, compressis et conglomeratis, sed etiam omnia vasa et arterias et venas tela illa fibrosa, quae angiectasi peculiaris est, inter se cohaerere, ita ut, incisione facta, tumor ex innumeris, inaequalibus cellulis formatus videatur.

62) cf. Breschet l. c.

63) cf. ibidem.

64) cf. Hasse l. c.

65) cf. Dupuytren l. c. p. 5.

Inde etiam factum est, ut structura horum tumorum comparata sit cum illa placentae, penis etc. Dupuytren<sup>66)</sup> enim statuit, teleangiectas in esse textum erectile morbosum, simillimum isti, quod normale in nonnullis corporis partibus inveniatur, veluti in membro virili, clitoride, papilla mammae etc., cuius incrementum nullo modo restringatur, et ambitus nullis coērceatur finibus. De Walther<sup>67)</sup> contendit, quamvis vasorum dilatatorum magna sit copia, tamen non tam largam esse in teleangiectasi, ut inde concludi possit, tumorem omnino ex iis compositum esse; et deinde affirms, semper telam cellulosam et reliquam organorum parenchymatis partem plane evanuisse. Bell<sup>68)</sup> massam cellulosam elementum praestans habet; cellulæ ipsae secundum eum actione vehementi arteriarum ibi exeuntium sanguine complentur, quae venis inde initium trahentibus excipiuntur, quarum exordia ipsa fortasse ad cellulas istas dilatantur. Quam rem etiam Hodgson et Meckel statuunt. Meckel<sup>69)</sup> dicit, vasa non modo dilatata esse, verum etiam numero adiecta, cui Chelius et Hasse consentiunt.

Etiam in nostro casu tela illa peculiaris tam larga inveniebatur, ut arterias tumorem constituentes dense circumdaret et cultro perfecta strepitum ederet.

66) cf. l. c.

67) cf. l. c.

68) cf. Hodgson's Uebersetzung etc.

69) cf. l. c.

In aneurysmate anastomotico ossium, quod crus plerumque, tibiam vel fibulam, vel utramque partem afficit, arteria poplitea, vel tibialis postica dilatata, neque alio modo mutata invenitur, quae ad tumorem ipsum magnam copiam ramorum inter se communicantium mittit. Omnes cruris affecti venae sunt varicosae, cutis livida et tenuis saccum aneurysmaticum circumcludit, cuius parietes crassi, cartilaginosi, tela cellulosa firmiori obducti, et e periosteonati sunt. Cavum hujus sacci coagulo impletum est fibroso, quale saepe in aneurysmatibus falsis obvenit; interna autem superficies ejus flocculosa, irregularis, placentae uterinae similis est, et plura ostendit ostia vasorum innumerabilium, e quibus, ut injectio docet, sanguis effunditur in sacci singulas cellas. Os ipsum aut plane, aut in singulis partibus deletum est, pro vario gradu et progressu morbi. Si majorem nactum est aneurysma gradum, in fundo sacci fragmenta ossis diruti inveniuntur, saepe non jam inter se cohaerentia. Ab initio morbi externa ossis lamina quidem adest, tenuior autem, maxime fragilis tactu, et hic et illic jam deleta cognoscitur. In cavo ossis coagulum illud fibrosum accumulatum est. Articulatio tumoris proxima fere semper sana est<sup>70)</sup>.

### P r o g n o s i s.

Quantum hic morbus afferat periculum vitae, nec non sanitati affecti, jam in descriptione exposu-

70) cf. Scarpa: Ueber Pulsadergeschwüste etc. I. c. u. Chelius I. c. p. 976.

imus. Nam etsi ab initio minimi momenti videtur esse, nullumque affert incommodum, nisi quod partem aliquam corporis minus formosam reddit, mox tamen grave fit malum, vexat aegrotos, turbat functiones, per haemorrhagias quietem viresque consumit, aut mortem accelerat. Sed eundem morbum etiam optimam saepe et omni animi sagacitate excoigitatam curandi rationem deridere, ~~h~~ sequentibus elucebit.

Prognosis specialis pendet ab origine, complicationibus, sede, extensionis gradu morbi, deinde a dignitate organi affecti, ab aetate et constitutione aegroti.

Morbus causis externis provocatus in hominibus omnino sanis semper meliorem praebet prognosin, ac si spontaneo modo exortum nobis se ostendit. Si dyscrasia, aut alias magni momenti morbus cum nostro simul adest, tum prognosin non optimam esse ponendam, satis eluet. Morbus quando partes molles invasit, prognosin idecirco meliorem praebet, ac si in ossibus sedem occupat, quod in his semper causa interna provocatur. Si caput morbo laborat revera timendum est, ne exitus infastus cieatur, propter dignitatem organorum vicinorum. Quam inflamatio aneurysmatis anastomotici ad cerebrum ejusque integumenta propagata, quam exulceratio ejus larga cum febri hectica juncta spem nobis unquam poterit relinquere? Quam facile aneurysma anastomoticum orbitae perturbationem visus relinquit?

Prognosis deinde eo melior habenda est, quo extensionis gradu minore malum nobis obvenit; quod rarissime autem fieri solet, quum morbus ab initio propter paucas et saepe nullas molestias pro nihilo habeatur. Tumor, quum minus creverit, parietes arteriarum, quum parvam tantummodo dilatationem sint perpessi, saepe apta medendi methodo tonum necessarium absque ulla texturae permutatione recuperare possunt. Quodsi vero arteriarum parietes magis sunt extenuati, si tumor maxime elevatus pulsat, si haemorrhagiae jam emissae sunt, quae aegroti vires satis consumserunt, tum morbus nullo medicamine retardatur, et nunc tardius, nunc celerius crescens infaustum semper exitum adducet. Quam vim exhibeat in prognosin aetas et constitutione affecti, vix addere necessarium erit, quum satis intelligere possimus, aetatem senilem et constitutionem teneram, debilitatam, dyscraticam, haud bonam praebere prognosin.

### C u r a t i o .

Natura, etsi teleangiectases simplices, veras et venosas nonnunquam sanat, attamen in malo nostro, ubi arteriae majoris luminis dilatatione laborant, nihil valet. Nam sicut in omnibus aneurysmatibus veris, sic etiam in hoc malo propter circulationem sanguinis lentam quidem, neque vero stasin patientem in arteriis dilatatis, quae ad componendum tumorem concurrunt, sanguinis coagula consistentia formari

non possunt, ita ut obliteratio fiat<sup>71)</sup>). Ammon<sup>72)</sup> quidem casus alicujus mentionem fecit, ubi naevus, in eujus ambitu arteriae valde dilatatae pulsabant, secundo aetatis anno infantis atrophia idiopathica sanatus est; qui casus vero unica regulae nostrae exceptio.

Quod ad curationem arte instituendam attinet, omnibus fere temporibus medici experientissimi atque prudentissimi frustra aptam et concinnam periculosi hujus morbi curandi viam ac rationem eligere tentaverunt. Nam nihil certi ac salubris ex materiae medicae thesauro erui potest.

Pauca tantummodo exstant exempla, ubi diligentia medicorum exoptatum ac felicem habuit effectum. Causa hujus rei haud dubie hinc patet, quod et saepissime causas, quae malum provocant atque sustentant, plane ignoramus, et ipsi aegroti tum demum medicorum auxilium petere solent, ubi vitium jam satis magnum nactum est extensionis gradum.

In curatione morbi ipsius praesertim respiciendae sunt causae, sedes, magnitudo intensiva et extensiva, complicationes morbi, nec non constitutio et aetas aegroti.

Medici variis mendendi rationibus usus sunt indicationes:

a) ut vasorum tonum relaxatum in integrum restituant.

71) cf. Breschet I. c. p. 170.

72) cf. Angeborne chirurg. Krankh. Tab. 32, fig. 5, p. 135.

*b)* ut irritationē excitent inflammationē et obliterationē vasorum.

*c)* ut vitium ex organismo removeant.

*d)* ut sanguinis affluxum p̄aecludant.

Priusquam vero varias has curandi vias ac operationis methodos perlustrando commemorem, de methodo Valsalvae, quae cum contra aneurysmata omnino, tum contra nostrum morbum in usum vocata est, pauca praemittere opus est. Quae quidem methodus in eo consistit, ut venaesectiones nonnunquam reiterentur, digitalis purpurea et aqua laurocerasi interne adhibeantur, ut in diaeta et vivendi ratione severa servetur lex, denique ut prohibeamus, quominus animus et corpus aegroti sollicitentur. Quibus omnibus remediis id efficere studemus, ut et sanguinis circulatio omnino retardetur, et affluxus sanguinis ad partes affectas coērceatur, itaque via indirecta tonus arteriarum laesus restituatur, simulque aegroti dolores ac molestiae leniantur. Facile tamen patet, solam hanc methodum in morbo satis excuto parum, aut nihil prodesse posse, quum impedire tantum, quominus malum augeatur, et levare quodammodo morbi symptomata possit, ut in casu Scilbachi Digitalis et Opii usum fecisse videmus, Quare initio tantum morbi auxilium ex hac methodo sperandum erit, ubi arteriae nondum nimis dilatatae inveniuntur; tum in malo insanabili, ubi alia curandi ratio aut applicari nequit, aut ab aegroto pertinaciter repudiatur; tum in individuis aetate jam

provectis; tum denique, ubi neque diathesi universali, neque aegroti constitutione prohibetur. Quae cum ita sint, haec methodus in plurimis casibus non radicalis, certe vero symptomatioa et palliativa habenda et aestimanda est. Notandum tamen est, hanc methodum cum aliis remediis apte conjunctam promittere effectum exoptatum. Sic varias operationes, veluti ligaturam, aut praeparare, aut sequi potest.

Viae medendi in usum vocatae hae sunt:

I. **Compressio.** Compressio aut in ambitu tumoris, aut in trunco arteriali inter tumorem et cor, aut in arteriis illi vicinis adhibetur. Minuit enim ac neprimit sanguinis affluxum, et modo continuo coercet vasorum parietes dilatatos, resorptionem auget et sic ambitum tumoris magis crescentem impedit, simulque dolores ac pulsationes nimias removet. Simul cum compressione etiam remedia adstringentia et refrigerantia, veluti: alumen, aqua calcis, decocta amara, fomentationes Schmuckerianae, aqua Saturni etc. in usum vocata sunt, quibus tonus relaxatus arteriarum restituitur<sup>73)</sup> et calor nimio sanguinis affluxu exortus deprimitur. Sic Abernethy<sup>74)</sup> cum successu applicavit compressiones linteas aqua rosarum vel solutione aluminis tinctas in tumore orbitae. Ad compressionem exsequendam iisdem materiis uti solemus, quae in aneurysmatibus

73) cf. Breschet I. c. p. 178 und de Graefo, angiectasia etc. pag. 57.

74) cf. Surgical observations p. 228.

externis omnino adhibentur, veluti linteis graduatis, instrumentis artificialibus<sup>75)</sup>, tabulis plumbeis<sup>76)</sup>, gypsi infuso<sup>77)</sup> etc. Compressio in tumore ipso in primis laudatur ab Abernethy et Roux<sup>78)</sup>, quibus exoptatum praebuit successum. Eodem cum effectu Pelletan<sup>79)</sup>, Boyer<sup>80)</sup>, Dupuytren compressione usi sunt. Ex aliis vero exemplis patet, compressionem plus attulisse incommodi, quam utilitatis, irritatione continua inflammationem provocasse, tumoris ambitum doloresque auxisse. Quare pro remedio ambi guo habenda erit, quod sub certa conditione tantummodo aliquid valeat. Roux<sup>81)</sup> dicit: „*la compression sur la tumeur même ne peut être exercée avec avantage, qu'autant que cette tumeur repose sur des parties solides, qui peuvent servir de point d'appui. Il faut aussi que cette compression puisse être exercée à un degré assez considérable sur toute la surface de la tumeur, au de la même de sa cir conférence et s'il se pouvait jusque sur les branches artérielles, qui alimentent cette tumeur.*“

Itaque compressio in primis in tumoribus capitis, neque vero orbitae indicata est. Praeterea tum tantum effectum habebit bonum, si vitium magnam

75) cf. Rust: prakt. Handb. der Chirurgie Bd. II, p. 26.

76) cf. ibidem et historia morbi.

77) cf. Dupuytren I. c. p. 9.

78) cf. Relation d'un voyage à Londres, p. 246.

79) cf. Clinique chir. Tome II, p. 60.

80) Traité des maladies chirurg. Tome II, p. 269,

81) cf. Archives générales de médecine II, Tom. VI. Tarral, du traitement des tumeurs érectiles etc. p. 11.

nondnm assecutum est extensionem, si ipsa per longum temporis spatium modo continuo, sensim adaneto adhibetur, si adstringentia simul non deficiunt<sup>82)</sup>. Quare sub aliis conditionibus videmus, hanc medelam aut parum, aut nihil valuisse. Sic Dupuytren absque omni effectu gypsi infusum in tumore auriculae et temporis adhibuit. Travers<sup>83)</sup> et compressione et fomentationibus frigidis frustra usus est in tumore orbitae. Warren<sup>84)</sup> sine successu compressionem in usum vocavit in tumore quodam causis externis provocato. Pelletan<sup>85)</sup> frustra compressit carotidem. Frustra Populus et Rétif in easu, quem Dupuytren descripsit, compressorunt arteriam auricularēm anteriorem, temporalem, et occipitalem. Incommada, quae ex usu compressionis profluunt etiam facilia sunt intellectu. Necesse est, ut compressio continuo modo adhibeatur. Num vero per longum tempus aegrotus id pati poterit? Nonne dolores ab initio quidem remoti mox apparebunt irritatione topica exorti? Nonne tum malum ipsum augeatur? Nam quotiescumque compressione sublata vasa evacuata sanguine rursus replentur, sanguinis unda ante retenta vi propellitur, ut in arteriarum parietes irrumpens eosque dilatans tumorem ipsum augeat et amplificet.

82) cf. Breschet l. c. p. 178 u. Chelius l. c. p. 973. 10 (81)

83) cf. l. c. q. 11 noscitur ad eum adhibendam. 10 (82)

84) cf. l. c. p. 227. 10 (83)

85) cf. l. c. q. 11 noscitur ad eum adhibendam. 10 (84)

Propter haec incommoda, nec non propter incertitudinem effectus nostro tempore vix ullus erit, qui compressionem ad delenda aneurysmata anastomotica adhibeat, nisi ad haemorrhagias sponte aut post operationem factam exortas sistendas<sup>86)</sup>.

**II. Cauterium actuale et potentiale.**  
Vis, qua cauterium agit, haec est: delentur plus minus partes, in quas cauteria admoventur. Sanguis coagulatur in vasibus parvis, sanguinis circulatio per tumorem sistitur, vasa ulteriora obliterantur, supervenit inflammatio, quam sequitur suppuratio, granulatio et cicatrix.

Exempla laudata, ubi cauterium bono cum eventu adhibitum est, qualia exstant imprimis apud Wardrop<sup>87)</sup>, simplices tantummodo teleangiectases fuisse videntur. Jaeger<sup>88)</sup> dicit, de Siebold contra aneurysma anastomoticum cauterium bono cum eventu in usum vocasse. Dupuytren<sup>89)</sup> hoc remedium ad haemorrhagias sistendas adhibuit. Etsi magnam affert utilitatem in simplici teleangiectasi delenda, attamen statuendum erit, hanc medelam in aneurysmate anastomotico sponte exerto satisque jam exculto et in capite posito, omnia illa incommoda, quae viderunt Boyer, Roux, Sabatier, Maunoir, Velpeau<sup>90)</sup>, pro-

86) cf. Dupuytren et Pelletan l. c.

87) cf. Archives générales etc. l. c. p. 196.

88) cf. l. c. p. 196.

89) cf. l. c.

90) cf. Archives générales etc. l. c.

vocare. Cui rei consentiunt Jaeger et Hodgson <sup>91)</sup>. Nec minus Chelius <sup>92)</sup> timet, ne usu cauterii in his casibus haemorrhagiae vehementes exoriantur. Inde elucet, hoc remedium indicatum esse ab initio mali nostri, quando e teleangiectasia originem duxit. Deinde pro remedio adjuvante habendum est in haemorrhagiis aut sponte, aut post extirpationem, aut alias operationem factam exortis sistendis; tum ibi locum habet, si ligatura vitium non sanatum est <sup>93)</sup>.

**III. Deligatio tumoris.** Ligatura tumoris ipsius priori tempore saepe in usum vocata est in teleangiectasibus basin tenuem prae se ferentibus a Petit, Walther, Maunoir a. Postea etiam in tumoribus ejusmodi basi lata praeditis exhibita est a White, Lawrence, Brodie <sup>94)</sup>, Dotzauer <sup>95)</sup>. Recentiori tempore uti solemus ligatura dupli in tumoribus diversi generis, qualis laudatur a Physic, Lawrence jet Brodie <sup>96)</sup>. Quam ligandi methodum Brodie etiam in aneurysmate anastomotico commendat, imprimis in illo, quod e teleangiectasi exortum est; cui Jaeger consentit <sup>97)</sup>. Ligatura indicata est in malo non tam magnum ambitum nacto, et superficialem sedem obtinenti, ut in facie, ubi vasa ad tumorem concurrentia non satis late extensa sunt, et propter se-

91) cf. l. c. p. 81.

92) cf. l. c. p. 974.

93) cf. Archives générales l. c. p. 14.

94) cf. ibidem.

95) cf. de Siebold Sammlung etc. I. S. 161.

96) Blasius Akiurgie Bd. I, p. 425.

97) cf. l. c. p. 488.

quentes haemorrhagias extirpatione non statuenda est. Chelius<sup>98)</sup> simplicem ligaturam etiam commendat. Effectus ligaturae ambiguus est. Tarral<sup>99)</sup> affirmit, ligaturam valde dolorificam, interdum perniciosa esse, quod vulnus inde hiat et cicatrix tumoris ambitui respondens, quod difficile tantum vitium totum ligatura complectatur, unde recidivum exoriatur, veluti exemplis Lawrence et Averil patent, qui post ligaturam adhibitam coacti sint, cauterio uti. Hodgson<sup>100)</sup> affirmit, malum, nisi radicitus ligatura delatum sit, semper augeri. Nihilominus tamen concedendum est, in usum vocatum esse hoc remedium optimo saepe cum eventu a medicis anglieis<sup>101)</sup>.

IV. Incisio simplex tumoris cum compressione conjuncta, quam curandi methodum de Graefe<sup>102)</sup> cum effectu adhibuit, secundum Chelium in tumoribus locum habet ambitu et extensione tantum parvis. Semper autem timendae sunt haemorrhagiae periculosae \*).

V. Extirpatio. Haec operatio a Petit<sup>103)</sup>, J. Bell<sup>104)</sup>, Hodgson<sup>105)</sup>, Dupuytren<sup>106)</sup> pro remedio

98) cf. l. c.

99) cf. l. c. p. 14.

100) cf. l. c. p. 81.

101) cf. Liston practical surgery. Lond. 1840. Tab. 331 u. 333.

102) cf. Beiträge zur rationellen Cur und Erkenntniss der Angiectasien, Cap. 8.

\* cf. Historia morbi.

103) cf. Oeuvres Chir. Tom. I.

104) cf. Principles of Surgery. Vol. I, p. 463. 1801.

105) cf. l. c. p. 80.

106) cf. l. c. p. 13.

certissimo habetur ad sanandos tumores ejusmodi. Attamen experientia docuit, saepe maximas secutas esse haemorrhagias, saepe tam periculosas, ut vitae maxime esset timendum, in primis in individuis infantilibus. Exempla hujusmodi exstant a Wardrop, Roux et Hervez<sup>107)</sup>. Busch extirpavit tumorem infantis, ubi, operatione facta, propter magnam haemorrhagiam exortam carotis interliganda erat. Praeterea morbus denuo redit, nisi vitium radicitus extirpatum fuerit, quum saepissime ulterius propagatum sit, quam ex specie externa provideri possit, ut in casibus a Boyer et Richerand<sup>108)</sup> descriptis. Deinde respicienda est magna substantiae jactura post operationem in tumoribus susceptam majoris ambitus. Chelius<sup>109)</sup> itaque extirpationem statuit in tumoribus parvis, ubi vasa in eorum circumferentia nondum dilatata conspi ciuntur. Nihilominus Mussey<sup>110)</sup> permagnum extirpavit tumorem in vertice, antea ligatura utriusque carotidis communis frustra tentata, faustissimo cum eventu, quamquam haemorrhagia exorta tam profusa erat, ut vasa quadraginta interligarentur.

VI. Ligatura vasorum. Haec operatio indicata est, si tumor magnam assecutus extensionem. si sedes, veluti in orbita, aut ambitus alias

107) cf. Archives générales etc. l. c. p. 29. (801)

108) cf. Siebold etc. l. c. (801)

109) cf. l. c. p. 973. (801)

110) cf. Lond. med. gaz. Vol. VI, p. 76. (801)

medelas, compressionem, cauterisationem, extirpationem vetat<sup>111)</sup>.

Etsi exemplis hucusque collectis patet, hanc operationem non semper faustissimum habuisse successum, tamen concedendum est, sub his indicationibus optimam esse curandi viam, quae omni rationi respondeat, nec non refugium medicorum saluberrimum. Reete Tarral monuit<sup>112)</sup>, ligaturam arteriarum, si optatum successum non semper praebuerit, nunquam tamen vitium in deterius vertisse, contra saepissime in melius mutasse. Quare haec medela statuenda sit ea spe:

- 1) ut radicitus extinguatur vitium;
- 2) ut vita aegroti saltem servetur, dum incrementum morbi inhibeatur, et haemorrhagiae, quae imminent, vel jam adsunt, coercentur.
- 3) haec operatio denique tamquam medela preparatoria valet.

Cui rei Breschet consentit<sup>113)</sup>. Bell, qui tempore priori deligationem vasorum plane repudiaverat, easu quodam postea permotus, eam postea multo cum successu adhibuit.

**Deligantur:**

- a) singuli rami tumorem nutrientes ex methodo Anel. Tentata est haec methodus in illis casibus, ubi singulae arteriae ad tumorem concurrentes ita dilatatae erant, ut fa-

111) cf. Dupuytren l. c. p. 10.

112) cf. l. c. p. 27.

113) cf. l. c. p. 175.

cilem praebarent aditum. Quum vero hae arteriae saepissime non bene distingui possint et frequentiores morbosaeque sint, aut nullum ad se praebant aditum, mox sanguis, si unum vel duos ramos subligassent medici, per anastomoses innumerabiles in tumorem rediit, simulque dolor, ambitus, turgescencia, pulsatio tumoris iterum apparebant. Nec minus deinde haemorrhagiae ligatura ejusmodi facta saepe periculosa exstiterunt, aegrotumque perdiderunt. Pelletan<sup>114)</sup> ad illum tumorem sanandum genae et auriculae sinistrae tentavit arteriae temporalis deligationem; quum vero hoc non processisset; eo stetit, ut acu perfoderet arteriam, cuius partem tantummodo ligatura constringit. Correpta est aegrota haemorrhagiis iteratis die decimo quarto post operationem. Dupuytren<sup>115)</sup> frustra subligavit arteriam auricularem anteriores, art. temporalem, et occipitalem. Syme<sup>116)</sup> ligavit arteriam auricularem posteriorem propter tumorem pulsantem auris sine successu. Etiam Brodie<sup>117)</sup> casum ejusmodi narrat. Alia extant exempla, ubi successus faustissimus erat, veluti casus a Roux, Maréchal, Gibson<sup>118)</sup> descripti. Medici nonnulli quum vidissent, per-

114) cf. I. c.

115) cf. I. c.

116) cf. Diction. de méd.; Art. tumeur.

117) cf. Revue médicale. 1814.

118) cf. Archives générales l. c.

anastomoses solitam mox restitui sanguinis circulationem, proposuerunt, ut cultro divideretur circumferentia tumoris, quo magna vasorum copia secaretur. Quod bene ac fauste exercuit Lawrence <sup>119)</sup> in tumore digiti annularis, propter quem Hodgson frustra jam ligaverat arterias radialem et ulnarem. Warren <sup>120)</sup> vero frustra dissecut arter. facialem et temporalem propter tumorem orbitae.

b) Deligatur truncus arteriosus, cuius rami sanguinem tamori immittunt. Medici, quum experientia docuissest, sanguinis circulationem per anastomoses et arterias collaterales restitui, si singuli subligarentur arteriarum rami, ad id inducebantur, ut ligarent statim truncum arteriosum, quo omnes tumoris fontes simul occiderentur. Quamquam haec methodus certissima esse videtur ad delendum vitium nostrum late extensum et in loco positum, ubi alia medendi ratio non indicata est, tamen bonum ac faustum successum non semper praebuit. Exempla, in quibus sanatio successit, pauca tantum nobis occurunt, et talia sunt, ubi vitium fere semper in orbita sedem habuit. Causam boni hujus eventus Chelius et Jaeger <sup>121)</sup> paucis anastomosis in illo loco imputant.

119) cf. Med. chir. transact. II, p. 199.

120) cf. l. c.

121) cf. l. c. p. 974 u. 489.

Sic Travers<sup>122)</sup> interligavit arteriam carotidem primitivam ob aneurysma anastomot. orbitae, quod faustissimo cum successu radicitus inde deletum est. Deinde Dalrymple<sup>123)</sup> hujus viri exemplum secutus ligavit art. carotidem sinistram propter vitium simile. Wardrop<sup>124)</sup> eodem successu carotidem subligavit. Warren carotidem dextram ligavit, quum frustra jam antea art. ophthalmicam ligasset. Sed plura existunt exempla, in quibus eventus infaustissimus erat, et ubi vitium in regione temporali, occipitati etc. locum tenebat. In his casibus aut ligatura arteriae carotidis externae, aut communis suscepta est. Turgescentia, pulsatio, omnesque aliae molestiae, etsi operatione facta in tumore remittebant, tamen post brevius vel longius temporis spatium redierunt. In aliis casibus mors statim post operationem factam secuta est<sup>125)</sup>. Dupuytren<sup>126)</sup> propter casum jam supra commemoratum interligavit art. carotidem primitivam sinistram. Vitium deminutum quidem, non vero plane sanatum est. Propter malum simile Wardrop in homine viginti duorum annorum ligavit art. carotidem primitivam. Tumor valde decrescebat, sed aegrotus post aliquot menses abscessu lumbali mortuus est. Mayo<sup>127)</sup> in cuius nosocomio aegrotus

122) cf. l. c.

123) cf. l. c.

124) cf. the Lanz. etc. 1829.

125) cf. ibidem.

126) cf. l. c. p. 6.

127) cf. Lond. med. gaz. Vol. I, p. 260

obiit, distinctam et accuratam nobis reliquit descriptionem sectionis cadaveris. Tumor antea deminutus, illo tempore, quo aegrotus auxilium petuit ab hoc medico, valde iterum pulsabat, et formari videbatur ex arteria quadam dilatata, flexuosa et tortuosa (*coiled upon itself*), quae arcte cohaeret cum ramo posteriori arteriae temporalis. Quod etiam, aegroto mortuo, confirmatum est; nam, cera in arteriam ad tumorem vergentum injecta, Mayo invenit ramulum quendam rami posterioris arteriae temporalis, qui crassior, quam trunus arteriae ipsius hinc illuc flexuosus tendinem musculi occipito-frontalis perforabat, deinde tortuosus, cum vena conjunctus tumorem constituebat. Os pericranio obductum sinuositates arteriae supra jacentes ostendebat. Nonne ex his patet, Mayo addit, tumorem, arteria temporali ligata, aut dissecta, sanari potuisse? Deinde illud praecipue respiciendum est, oculum sinistrum die septimo post ligaturam factam ex orbita protrusum ruptura scissum esse. Quod fieri non potuit, nisi vena jugularis simul cum carotide oblitterata esset. Carotis communis enim oblitterata erat in extensione partis tertiae policis infra bifurcationem; eodem modo vena jugularis. Unde elucet, pulsationem tumoris post operationem restitutam esse per arterias cerebri. Sanguis enim e crano per carotidem sinistram internam in truncum oblitteratum carotidis communis viam habens, inde in carotidem externam ejusque ramos immissus est. Arteria tumorem nutriendis ramus erat carotidis externae, quem illa sub nomine

arteriae temporalis posterioris ad tempora transmittit. Alia exempla, ubi ligatura trunci arteriosi infaustum habuit eventum, narrantur a Cooper<sup>128)</sup>, Herche<sup>129)</sup>. Warren<sup>130)</sup> affirmat, se in variis casibus frustra truncum arteriosum interligasse.

Nonnulli medici, quum vidiissent, propter anastomoses frequentissimas, quibus rami arteriae carotidis utriusque lateris inter se communicant, deligationem trunci arteriosi sufficere non potuisse, propterea ausi sunt, ligaturam art. carotidis utriusque lateris suspicere. Sed e paucis, quae exstant, exemplis elucet, hanc quoque audacissimam operationem saepissime optatum negasse successum.

Buenger<sup>131)</sup>, anatomicus Marburgensis, primus omnium rem illam perfecit arduam propter aneurysma anastom. capitis late extensem in viro annorum triginta. Anno 1819 ligavit art. carotidem communem sinistram. Strepitus et susurrus, quo aeger per multos annos cruciatus erat, evanuerunt quidem, sed pulsationes et sanguinis aestus per vasa dilatata nulla medela, nec interna, nec externa coërceri potuerunt. Itaque Buenger quinque post annis etiam arteriam carotidem primitivam dextram deligavit, postquam antea incisionibus duabus tumorem persidebat, unde per dies quindecim ter magnam sanguinis

128) cf. Surgical dict. 1830. Artic. aneurys. per anat., p. 185.

129) cf. Ueber Teleangiectasie Inaugural. Abh. Speier 1840.

130) cf. I. c. p. 224.

131) cf. de teleangiectaseos notione et cura. Dissert. inaug. v. C. Mandt. Marburg 1837.

copiam fuderat haemorrhagia, quae compressione inhiberi non poterat. Aegrotus post menses aliquot sanatus dimissus est. De Walther<sup>132)</sup>, quum propter aneurysma per anastomosin auriculae sinistrale in homine annorum 21a chirurgo quodam arteria carotis communis sinistra ligata esset nullo successu, deligationem art. carotidis alterius proposuit. Quae operatio Virceburi a professori Ullmann suscepta est. Haemorrhagia profusa per septem dies ter rediit. Quare Buenger cum Ullmanno deligavit art. anonymam. Haemorrhagia quidem sistebatur, sed post horam dimidiā aegrotus mortuus est. Hannoverae in America septentrionali sine successu Mussey ligavisse carotidem communem utriusque lateris, jam supra commemoratum est.

Ligatura trunci arteriosi etiam in illis casibus indicata est, ubi vitium in extremitatibus sedem habet, et jam satis magnum assecutum est gradum, et aliae medendi rationes non sufficient. Sed exemplis paucis appareat, hanc operationem non optimum habuisse eventum. Sic Chelius<sup>133)</sup> dicit, sibi hujusmodi casum contigisse, propter quem, quum arteria cruralis frustra esset ligata, amputatio femoris institueretur necesse fuit. Quam operationem in his casibus ultimum esse refugium et ipse censet.

Ubi aneurysma anastomoticum ossa invasit, et jam certum extensionis gradum assecutum est, tum

132) cf. Mandt I. c.

133) cf. I. c. p. 975.

neque curatio antiphlogistica et derivatoria, neque compressio, nec ulla alia curandi ratio externa utilitatem affert, nisi ligatura trunci arteriosi<sup>134)</sup>, vel amputatio. Ligatura in illis casibus habuit effectum bonum, ubi ossis tela non tam valde deleta erat. Sic Lallemand et Breschet<sup>135)</sup> ligaturam art. cruralis suscepserunt propter vitium in tibia positum optimo cum eventu. Dupuytren<sup>136)</sup>, qui propter eundem morbum art. cruralem subligaverat, vitium post septem annos recidivum vidit, et amputatio suscepta tantummodo sanationem effecit.

VII. Amputatio igitur in omnibus casibus indicata est, ubi vitium seu in partibus mollibus, seu in ossibus positum jam magnos fecit progressus, aut ubi os jam satis deletum invenitur, aut ubi vitium recidivum rediit. Sed hanc quoque operationem medicos derisisse, e casu illo elucet, quem Scarpa<sup>137)</sup> narrat.

### HISTORIA MORBI.

F. de B. vidua, non procul ab urbe nostra in oppidulo quodam habitans, annorum triginta octo, habitu gracili, constitutione nervosa, mater infantum trium, nata est cum teleangiectasia cutanea, plana, circumscripta, non prominenti, colore subrubro, quae magnitudine fere thaleri sedem obtinebat supra ocu-

134) cf. Breschet l. c. p. 129.

135) cf. l. c.

136) cf. l. c. p. 24.

137) cf. l. c. p. 297.

lum sinistrum, magnam partem palpebrae superioris occupans et sensim versus tempora pergens. Quod vitium per multos annos semper eandem formam et extensionem ostendit, nec crevit, nec motus expansivos prae se tulit, et ne minimum quidem molestiam ei neque puellae, neque virginis, nisi deformitatem quandam attulit. Deinde quum nupsisset post primum puerperium, quod anno aetatis vicesimo sexto superatum est, per annum dimidium doloribus in abdome laborabat, et macies quaedam et virium debilitatio totius corporis adfuisse dicuntur. In partu autem altero, qui secundo post anno secutus maximeque dolorificus erat, inter dolores vehementes ac labores partus subito teleangiectasia increvit, elevationem inivit et colorem ostendit magis rubrum. Quae symptomata non modo postea remanserunt, verum etiam adaueta sunt. Vitium enim magis magisque parvi tumoris elastici formam induit et cum pruritu et tremore quodam molesto se conjunxit. Medicus arcessitus compressionem praescripsit tabulis plumbeis instituendam, quae tamen per aliquot tantummodo menses in usum vocari poterat propter excoriations exortas et magnos, quibus oculus affiebatur, dolores. Inter partum sequentem haec curandi ratio quidem reiterata est, sed nullam attulit utilitatem. Eundem successum babuerunt fomentationes frigidae, quae deinde adhibitae sunt, et glacies tumori imposta. Nam haec quoque remedia oculus per breve tantum temporis spatium perferre poterat. Sic vitium inter annos nonnullos illam paene asse-

cutum est magnitudinem, quam nos intuebamur. Tumor non modo tremorem et pruritum, verum etiam strepitum illum peculiarem et motus expansivos prodebat et satis aperte pulsabat; quae molestiae augebantur mensium introitu, animi quolibet affectu omnibusque rebus, quae congestiones ad caput provocabant. Tempore matutino molestiae semper minores erant, quam vespertino. Quo in gradu et cum hisce signis vitium per quinque annos praeteritos perstitit. Sed paullo ante operationem susceptam vitium ramos majores arteriae temporalis comprehendit eosque dilatavit. Jam nunc strepitus et pulsationes magis adauctae sunt, quibus se admiscuerunt dolores capitis, susurrus auris ejusdem lateris, praesertim in cubando provocati. Quibus rebus permota et suadente Dr. K. aegrota auxilium petiit ab Ill. Baum, praceptor maxime venerando, qui statim operationem faciendam censuit. Aegrota non recusavit et ad hunc finem mense Junii h. a. huc venit. Operatio die XXI. mensis ejusdem praeside Ill. Baum, assistentibus Drr. K. et E. et praesentibus commilitonibus nonnullis peracta est. Evidem aegrotam tum primum vidi. Animadvertebam supra oculum sinistrum loco descripto tumorem satis circumscriptum, rubrocaeruleum, eminentem, magnitudine fere nucis juglandis, superficie paullum inaequali, comprimendo elasticum, tangendo fluctuantem, neque vero dolentem. In basi externa cohaerebat cum tuberositate simili minori ad arcum zygomaticum pergenti, quae efficiebatur ramis extensis et dilatatis arteriae tem-

poralis; altera quaedam, non ita expressa iniquitas magis ad nasum pergens e ramis arteriae transversae faciei formata videbatur. Vitium pulsabat in tota extensione aperte, et manu apposita et aure approximanti strepitum illum animadvertere poteras. Compressio nec art. temporalis, nec ramorum duorum art. transversae faciei ambitum et alia tumoris symptomata mutabat. Pulsus aegrotae ceteraeque functiones normalis erant. Ex his signis, nec non e morbi decursu certe diagnosis duci poterat aneurysmatis anastomotici. Jam quod ad viam curandi attinet Ill. Baum de ligatura carotidis arteriae non cogitavit, cum ne utriusque carotidis ligatura quidem his in casibus utilitatem attulisset. Vasa aneurysmaticum tumorem intrantia ligare constituit, in primis a cel. Mayo \*) commotus, qui infelici illo casu, ubi Wardrop propter aneurysma art. temporalis carotidem sine fructu, immo cum omnibus ex inflammatione venae jugularis internae oriundis detrimentis ligaverat, in cadaveris sectione certior factus est, mera ligatura arteriae temporalis hoc aneurysma sanari potuisse.

Operatio instituebatur, sed revera multae sese offerebant difficultates; quum imprimis difficile esset, propter telam angiectaticam late extensam ad arterias subligandas pervenire. Primum arteria temporalis proxime supra arcum zygomaticum maxima cum diligentia ac subtilitate ligabatur. Tumor, ut antea

\*) cf. Lond. med. gazette. Vol. I, p. 260.

pulsabat. Tum duo rami arteriae transversae faciei interligabantur supra os zygomaticum proxime infra tumorem. Nihilominus durabant pulsationes in tumorē, etsi minus apertae. Unde patebat, tumorem sanguinem trahere e ramis art. ophthalmicae. Quod eventu comprobatum est. Nam incisione facta proxime infra marginem supraorbitalem in tumoris basi, inveniebatur arteria quaedam valde dilatata itaque firme ossi affixa, vel potius ex osse originem ducens, ut nequaquam acūs subligationi apta admoveri posset. Compressione hujus arteriae pulsationes deminuerantur. Nunc tentabatur arteriae simul cum tumore dissectio. Sed simulac culter cuti submissus esset, tantum exoriebatur sanguinis profluviū, ut ab opere desistendum esset. Propterea Ill. Baum ad obliterationem vasorum, inflammationem et suppurationem in tumore provocandam nunc duas acūs aeneas, pollices duas longas, parallelas, verticem versus, a parte inferiori tumoris ad superiorem sub tumoris basi inter tumorem et os frontis traduxit, quarum altera ab altera decem lineas distabat. Filum utriusque circumvolvebatur, quo ea tumoris pars, quae acui superimposita erat, arctissime constringebatur. Pulsationes quidem inter acūm utramque manifeste remittebant, neqne vero desinebant; unde concludebatur, ex ipso osse frontis arterias tumorem immergere. Sed et has arterias inflammatione per acūs excitata, adhaesiva, claudi posse speravimus. Quo facto operatio finita erat. Aegrotae, quae maximam ostenderat constantiam, deinde in lecto cubanti fo-

mentationes frigidae e glacie paratae applicabantur. Tempore vespertino quum lenis reactio febrilis incederet et aegrota congestionibus ad caput, siti, pulsationibus majoribus et doloribus in tumore vexaretur, sanguinis unciae duodecim venaesectione detractae sunt potusque refrigerans porrecta. Postero die mane status aegrotae melior; tempore vespertino autem quum exacerbatio rediisset, venaesectio reiterata et remedium purgans praescriptum est.

Fomentationes postea ex aqua et aceto vini paratae per hebdomades quatuor applicabantur. Tumor subligatus suppurationem satis profusam iniit, ita ut hebdomade quarta acus deciderent. Quamvis gravissimae vitii molestiae operatione essent sublevatae, velut susurrus auris, a., tamen levis pulsatio remanserat. Aegrota sub Calendas Julias domum rediit. Mense Augusti vero III. Baum iterum precipibus adiit, ut operatio reiteraretur, quod pulsationes nondum evanissent. Qui, quum spe vitii radicetus sanandi minime destitisset, exspectare eam jussit.

*Et o felicem exitum!* aegrota nunc omnia mala exuit; et tumor evanuit, vulnera bene cicatrices duxere, pulsationes plane nullae, ita ut jure sperandum sit, operatione facta sanationem radicalem futuram, nec malum redditurum esse.

**Vita.**

Natus sum Henricus Guilelmus Eduardus Eisermann, confessioni evangelicae addictus, die VI mensis Augusti, anno h. s. XX Opershuse, Thuringiae pago prope Mulhusam sito, patre Friderico, quem morte mihi praematura eruptum maxime lugeo, matre Elisabetha e gente Engeling, quam adhuc superstitem veneror. Primis literarum elementis domi imbutus, tempore paschali anni h. s. XXXIII gymnasium Mulhusanum, quod illo tempore Directore Ill. Graefenhan florebat, adii. Tempore autumnali anni h. s. XLI Directore Ill. Haun maturitatis testimonium nactus aliam hanc literarum universitatem petii, ubi ab Ill. Schoemann, t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, ab Ill. Berndt t. t. Decano maxime spectabili medicinae studiosis adscriptus, per quatuor semestria hisce interfui scholis:

Ill. Huenefeld Chemiam theoretico-practicam, organicam, pharmaceuticam, forensem et mineralogiam me edocuit.

Ill. Hornschuch Historiam naturalem universalem, Botanicen, Zoologiam; Cujus etiam Excursionibus botanicis et Demonstrationibus zoologicis interfui.

Ill. Tillberg disserentem audivi de Physice experimentali.

III. Erichson de Logice.

III. Stiedenroth de Psychologia.

III. Schultze de Anatomia corporis humani, de Physiologia, de Arte cadavera rite dissecdandi.

Cel. Laurer de Osteologia et Syndesmologia, de Angiologia, de Neurologia, de Anatomia sensuum organorum, de Splanchnologia, de Arte fascias rite alligandi.

III. Beat, Seifert de Encyclopaedia et Methodologia medica, de Pathologia generali, de Materia medica.

Exp. Berndt de Therapia generali, de Semiotice, de Methodo formulas medicas concinnandi.

III. Berndt de Therapia et Pathologia apeciali, de Politia medica.

III. Baum de Chirurgia generali, de Ophthalmiatrica, de Fracturis et Luxationibus.

Tempore autumnali anni h. s. XLIII aliam universitatem Halensem petii, ubi ab Ill. Pernice t. t. Prorectore Magnifico civibus hujus universitatis adscriptus per duo semestria hisce interfui collegiis:

III. d'Alton de Anatomia comparata dissarentem audivi.

III. Friedlaender de Historia medicinae.

III. Krukenberg de Pathologia et Therapia speciali; Cujus clinicum medicum etiam frequentavi.

III. Blasius de Chirurgia generali et speciali, de Akiurgia-  
Idem dux mihi erat in Exercitationibus operationum chirurgicalium in cadavere instituendis, nec non in Clinico chi-  
rurgico-ophthalmatico.

Anno praeterito aliam Gryphiam redii, ibique ab Ill. Hue-

nefeld t. t. Rectore Magnifico civibus academicis adscriptus per duo semestria viris Illustrissimis praceptoribus usus sum his:

**Exp. Berndt de Operationibus obstetriciis in phantomate instituendis.**

**III. Beat. Seifert de Medicina forensi.**

**III. Schultze de Anatomia generali et comparata, de Anatomia pathologica.**

**III. Baum de morbis organorum uropoëticorum et ani; Idem dux mihi erat in Clinico chirurgico - ophthalmiatrico.**

**III. Berndt de Pathologia et Therapia speciali, de Morbis psychicis, de Arte obstetricia; Idem dux mihi erat in Clinico medico et obstetricio.**

Quibus omnibus praceptoribus summe colendis ac plurimum de me meritis ea, qua deheo, pietate gratias quam maximas ago, et habebo in aeternum.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico; atque examine rigoroso, superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae in me conferantur honores.

## Theses defendendae.

---

### I.

*In aneurysmate anastomotico capit is deligationem  
vasorum tumori vicinarum praefero carotidis deli-  
gationi.*

### II.

*Vasorum ligaturam meliorem esse censeo, quam  
torsionem.*

### III.

*Non est certum gastromalaciae signum.*

### IV.

*Methodus antiphlogistica in delirio tremente re-  
jicienda.*



Biblioteka  
Główna  
**UMK** Toruń

611451

Biblioteka Główna UMK



300020815539

1

1

-et sicutem nichil in auctiōne dicitur indebet.